



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 3. Tumultus Cleri Batavi contra hoc Papæ decretum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. simplicem subscriptionem detrectandi  
A. C. 1702. proposito, quod tamen Papam fallendi  
 spe fretus, promissa & ad quæstionem  
 juris restricta obedientia occultare ad-  
 laborabat, eapropter ejusdem anni  
 Mense Octobri rursus Sacræ Congre-  
 gationi alium porrexit libellum suppli-  
 cem, in quo profitebatur, *se paratum*  
*esse, si ita juberetur, formularium Ale-*  
*xandri VII. subscribere ac jurare, juxta*  
*præmissam in eodem supplice libello declara-*  
*tionem de mente ac sensu tum subscriptionis*  
*suae tum juramenti, cum ergo Cardina-*  
*les probe prospicerent, quod Coddeus*  
*verbis luderet, nec a suo proposito re-*  
*cedere vellet, Papa quoque ac Cardi-*  
*nales a sua sententia nil remittendum*  
*cenfebant.*

## S. III.

*Tumultus Cleri Batavici contra hoc*  
*Papæ decretum.*

*Epist. Vau-* Quamprimum ea, quæ circa Seba-  
*cell. vñ* num Archiepiscopum Romæ con-  
*Quesn.* tigerant, per ejusdem Procuratorem  
*1. Jul. 1702.* in Hollandiam perscripta fuere, mox  
*Epist. Hus-* illi, qui e Clero Batavico Quesnelli  
*sen. ad Gerb.* partes tenebant, ad præpediendam Pon-  
*13. Jun.* tificiæ sententiæ executionem nil op-  
 portunius fore, communi consilio cen-  
 sebant, quam ut novas in foederato  
 Belgio



Belgio turbas commoverent; haud enim ignorabant, quod Calviniani foederatarum Provinciarum Ordines decretum Pontificium tanquam necessariae correctionis ac disciplinae caput sine ulla repugnantia toleraturi essent, si illud Clerus Catholicus pacifice acceptasset, & Theodorum Cockium sine turbis tanquam Provicarium Apostolicum a Papa constitutum agnosceret, necesse igitur censebant, ut hujus Archiepiscopi suspensio velut negotium summe periculosum, ac Reipublicae bono quietique oppido adversum foederatis Ordinibus depingeretur, proin per turbas ex condicto suscitatas, perque importunas sollicitationes contra Papae sententiam Ordinum decreta extorquerentur: quapropter ex Clero Catholico potissimi profanam Ordinum potestatem, opemque contra Pontificii decreti executionem implorarunt, Hagae Ministros, Hultium, qui Bruxellis Ordinum Legatum agebat, & praecipue Heinsium celebratissimum Reipublicae Oratorem, necnon Amstellodamenses Consules, quorum tres erant Nepotes Sebasteni, convenerunt, ut hi Bussio Bruxellensi Pontificis Internuntio exponerent, quod tam diuturna Sebasteni absentia praesertim in praesenti rerum vicissitudine acerbis querelis, motibus-

Sæc. XVII.  
A. C. 1702.



**Sæc. XVII** tibusque ansam præberet, & turbæ in  
**A. C. 1702.** Belgio indies auferentur, nisi excluso  
 Cockio Sebastenus ad Ecclesiæ suæ  
 clavum reponeretur, eoquod Clero Ba-  
 tavo nil deliberatius sit, quam adver-  
 sus Papæ decretum aperte, constanti-  
 que Marte sese opponere. Cessere  
 Hollandiæ ac Westfrisiæ Ordines sup-  
 plicum votis, suumque decretum die  
 decima septima Augusti ad generales  
 fœderatorum Ordines transmiserunt,  
 qui Mense Septembri edictum promul-  
 garunt, vi cuius eorum subditos Ro-  
 mam evocari prohibentes, Sebastenum  
 revocarunt, & Cochio, quem Ponti-  
 fex die decima nona Junii interim Vi-  
 carium substituerat, aliisque Vicariis,  
 qui non rite electi ab eorum Deputatis  
 admissi non essent, omni functione & ad-  
 ministracione Sacra interdixerunt &  
 Cochium in ædibus suis detinere, do-  
 nec Coddeus in patriam reversus pri-  
 stinæ suæ dignitati restitutus esset: e  
 contrario autem Hugonem Hussen-  
 num a Coddeo in Provicarium consti-  
 tutum, licet a Papa suspensus esset,  
 Officio fungi voluere. Paulopost ipse-  
 met Sebastenus, cum interdicto a Papa  
 solvi desperaret, an sententia jure lata  
 esset, ac ipse ea teneretur, se dubitare  
 simulabat, hac in re Quesnellum, ora-  
 culum suum in consilium adhibens. Hic  
 vero



vero sacra Vaticani fulmina, omnem- Sæc. XVII.  
 que Ecclesiæ auctoritatem cachinanti A. C. 1702.  
 sibilo explodere assuetus, velut ex tri-  
 pode Delphico respondit, pergeret ire  
 vias suas, nulla habita Pontificii in-  
 terdicti ratione, eoquod ipse contra  
 omnes æquitatis regulas esset condem-  
 natus, ac iudicium hac de causa ad  
 Generales Provinciarum Ordines per-  
 tineret, Roma vero majorem domina-  
 tionis amplificandæ, quam Religionis  
 rationem haberet, ac propterea unus  
 ex Romanis Antichristus esset futurus.  
 Insuper Harlemense & Ultrajectense  
 Capitulum ac Canonicos instigabat  
 Quesnellus, ut Cockium insuperhabito  
 Bruxellensis Internuntii Apostolici ite-  
 rato mandato, excluderent, & Seba-  
 stemum denuo in Episcopi Ultrajecten-  
 sis Vicarium nominarent: Inde Cod-  
 deus ad novam spem erectus, Papæ  
 mandatis apertius resistere statuit, caus-  
 satus, quod ad Provinciam Episcopi  
 Ultrajectensis obeundam a Canonicis  
 ejusdem Ecclesiæ ipsam Ecclesiam Ca-  
 thedralem vacante Sede repræsentan-  
 tibus delegatus esset. Verum ad hæc  
 reposuit Pontifex, *quod, quamvis in  
 Ultrajectensi Ecclesia quidam Canonici es-  
 sent, nescias tamen foret, ut Episcopus a-  
 lienæ Ecclesiæ, dum omni Provincia a sum-*  
mo



Sæc. XVII. mo Pontifice interdiceretur, vicem Episcopi  
A. C. 1702. apud Ultrajectenses ageret.

## §. IV.

*Clementis XI. literæ ad Belgii fœderati Catholicos.*

*Epist. & Brev. Clem. XI. pag. 15.* Cum vero Clemens XI. summus Pontifex haud temere vereretur, ne Catholici in Hollandia, & finitimis Provinciis agentes, seditiosis rumoribus, ac libellis, quos Coddei fautores magno numero disseminarunt, a debito obsequio averterentur, hinc ad eos die septima Aprilis anno sequenti has dedit literas: „Illius vices, licet immeriti gerentes in terris, qui transfurus ex hoc mundo ad Patrem, pacem, quam nascendo nuntiaverat, Ecclesiæ suæ, veluti testamento, reliquit; in eam maxime curam incumbimus, ut Catholici omnes, iique præsertim, qui in sejunctis ab hac Sede Regionibus constituti, ab omni specie mali cavere diligentius debent, remotis dissensionum fomentis, ea, quæ pacis sunt, studiose sectentur, quive in unitate ejusdem fidei consentiunt, concordia quoque, & Charitatis vinculo jungantur. Quam ob rem turbarum, ac dissidiorum mala germina, quæ in Hollandicis Missionibus